impedire valorem voti, quando sunt adeo graves ut moraliter censeantur ad substantiam pertinere. Est autem considerandum, aliud esse loqui de substantia alicujus actus in ordine ad constituendum, verbi gratia, statum religionis, seu ad participandum talem honestatem, seu modum cultus religiosi; aliud vero esse loqui de substantia talis actus, ut est objectum seu materia talis voti; ut, verbi gratia, ad substantiam actus eleemosynæ quoad honestatem ejus, non refert quod fiat Petro potius quam Paulo; si autem quis vovit eam facere Petro, illa circumstantia est de substantia eleemosynæ, ut est materia talis voti. Sic ergo in præsenti dicimus quod, licet abstinentia a carnibus, vel alia gravis asperitas religionis non sit de substantia status religiosi ut sic, moraliter tamen censetur de substantia talis status religiosi in individuo, quatenus hic status in particulari est materia alicujus voti, quia vovens non intendit promittere statum nudum, sed vestitum his vel illis conditionibus; quæ interdum tales sunt, tamque graves, ut non censeantur moraliter volitæ, quando circa illas erratur; et ideo talis ignorantia censetur causare involuntarium in his quæ pertinent ad substantiam talis voti ex parte materiæ. Quæ doctrina facile potest ad alia exempla applicari.

13. *Instantia. — Fit satis instantiæ.* — Instabis maxime in illo exemplo de voto religionis; nam esto tale votum non obliget in particulari ad talem religionem ita asperam, saltem obligabit ad statum religionis assumendum alibi; ergo talis ignorantia non facit votum simpliciter invalidum, sed solum quoad talem conditionem ignoratam. Antecedens patet, quia si vovens nihil ignoravit eorum quæ pertinent ad statum religionis, et illum primario intendit cum votum emittit, ergo ad illum saltem in communi obligatur. Respondeo forte non defuturos quibus hoc probabile appareat. Nihilominus negandam existimo sequelam, quia, licet ille non ignoraverit statum religionis ut sic, tamen non intendit ad illum absolute et nude se obligare, sed tantum ad hunc in particulari, et cum talibus conditionibus partim veris, partim existimatis; et ideo si obligatus non manet ad hunc statum in particulari sumendum, neque ad alium eligendum obligatur. Sicut qui vovet dare tantam eleemosynam Petro, quia existimavit esse pauperem, si postea intelligat se deceptum, et Petrum esse divitem, non obligatur tali voto ad dandam illi eleemosynam, nec aliis pauperibus, quia ipse hoc non vovit, neque simpliciter voluit honestatem misericordiæ exercere, sed tantum circa talem personam. Tota autem hæc obligatio ex intentione et voluntate voventis pendet, neque illam excedit.

14. *Cum circa materiam voti intervenit deceptio circa aliquas conditiones, vel leves, vel impertinentes ad votum, non impeditur valor voti.* — Dico tertio: quando circa materiam voti intervenit ignorantia, vel deceptio circa aliquas conditiones, vel impertinentes, vel levioris momenti, talis ignorantia, qualiscumque illa sit, non impedit valorem voti. Ita docet Sot., et omnes supra allegati. Et ratio est, quia parum pro nihilo reputatur, ideoque moraliter non existimatur sufficiens ad mutandam voluntatem, neque ad causandum involuntarium simpliciter, vel multum illud minuendum; quod autem vel perfectionem ejus aliquantulum minuat, vel aliquale involuntarium secundum quid causet, non satis est ad impediendum votum. Et hoc etiam confirmant rationes dubitandi in principio positæ. Quando vero conditio ignorata hujusmodi sit, prudens Theologus in particulari judicabit, considerata qualitate materiæ et circumstantiarum, nam certior generalis regula dari non potest.

15. *Conditio pertinens ad propriam causam finalem voti impedit valorem voti. — Ratio assertionis.* — Dico quarto: quando conditio ignorata non spectat ad materiam voti, sed ad causam ejus, tunc impediet valorem ejus, quando fuerit propria et finalis causa voti, et quasi ratio formalis movens in tali materia, ad illam Deo promittendam; si vero fuerit tantum occasio seu ratio secundario movens, ignorantia illius non impediet valorem voti. Hæc assertio est communis, præsertim Canonistarum, qui utuntur nominibus causæ finalis vel impulsivæ, ut late refert Tiraq., in tract. *Cessante causa*, p. 1, n. 256, et lim. 1, num. 1 et sequentibus. Et infra tractando de obligatione voti, et excusationibus ejus, latius est a nobis declaranda. Nunc breviter ratio utriusque membri sumitur ex duabus præcedentibus assertionibus; nam proprius finis et per se movens voluntatem pertinet ad substantiam voluntatis (ut sic dicam), quia pertinet ad substantiale objectum ejus; ergo error circa talem finem substantialis est. Item si error sit circa finem universalem, qui est divinus honor, destruitur materia voti, quia si non est apta ad illum finem, non est capax obligationis voti. Si vero est error circa finem proximum et intrinsecum actus, tollitur objectum formale, et consequenter intentio, ut si voveo dare huic, quia puto esse pauperem, et postea scio esse divitem; ergo. Altera vero pars de causa secundaria seu impulsiva probatur contraria ratione, quia illa non pertinet ad substantiam voti, et sine illa manet integer consensus. Solet autem hæc pars limitari, nisi talis finis det causam voto, ita ut si sciretur non esse, votum non fieret. Sed hoc intelligendum est juxta supra dicta, si hæc ipsa conditio formaliter vel virtute actu cadat sub intentionem operantis; alias illa conditionalis est impertinens, ut sæpe dixi.

16. Et juxta hanc posteriorem partem intelligi potest cap. *Ex parte*, 2, de Convers. conjug.; voverat enim in casu illius textus castitatem quædam mulier, quæ sponsum habebat, cum quo matrimonium ratum contraxerat; mota vero fuerat ad vovendum, eo quod credebat maritum esse leprosum, in quo tamen fuerat decepta. Et nihilominus respondet Pontifex votum esse validum, et servandum, *cum sine qualibet tali causa id ipsum religionis obtentu facere potuisset*. Ubi Glossa et et Doctores laborant in explicando quomodo votum, ex errore factum, validum fuisse declaretur; et licet dubium sit an de voto simplici vel solemni ibi sit sermo (quod infra suo loco tractabitur), tamen de quocumque intelligatur, exponitur facile juxta doctrinam datam. Quia ignorantia illa non fuerat de re pertinente ad substantiam voti, sed de motivo quodam, vel occasione valde extrinseca, quæ potuit quidem excitare et applicare voluntatem mulieris ad vovendum, non tamen pertinet ad objectum seu materiam, neque ad intrinsecum finem seu motivum talis voti, quod est religio et cultus Dei. Et eodem modo intelligi potest cap. *Magna*, de Voto, ubi Panormit. et alii dicunt, ignorantiam illam fuisse de impulsiva et remota, non de intrinseca, propria, et finali causa. Supererat dubium, an in voto solemni habeat locum hæc doctrina, nam discursus factus videtur universalis, et fortasse, formaliter intellectus, ita est; tamen quia de voto solemni est specialis difficultas, in proprium tractatum illam reservamus.

CAPUT XII.

EXPEDIUNTUR TRIA DUBIA CIRCA IGNORANTIAM IMPEDIENTEM VALOREM VOTI.

1. *Primum dubium.* — Supersunt autem nonnulla dubia circa superiorem doctrinam explicanda. Primum est, an locum habeat in sola ignorantia invincibili. Videtur enim non procedere, quando ignorantia vinci potuit et voluntaria fuit; hæc enim ignorantia non facit actum omnibus modis involuntarium, sed potius relinquit tale voluntarium, quod ad peccandum mortaliter sufficit; ergo relinquet etiam voluntarium ad obligationem voti sufficiens, juxta commune axioma supra tractatum. Et confirmatur maxime, si talis ignorantia non solum sit supina, seu negligens, sed etiam sit affectata; tunc enim voluntas ignorandi est quædam virtualis voluntas se obligandi, etiamsi fortasse decipi contingat. Ut, verbi gratia, qui promittit aliquid Petro existimans esse Paulum, non tamen sine hæsitatione aut formidine, negligitque diligentiam facere, sed absolute vult promittere, videtur convinci velle promittere, etiamsi talis conditio in re ipsa non subsistat; teneturque implere promissum, licet postea intelligat se fuisse deceptum circa existimationem Petri. Idem ergo est in omni casu simili; ergo talis ignorantia non est contra substantiam voti.

2. *Secundum dubium.*—Secundum dubium est, esto supra dicta procedant in ignorantia antecedente, quæ est causa actus, an locum habeant in concomitante. Quæ tunc esse dicitur, quando aliquis ita operatur ignorans, ut non sit minus operaturus, etiamsi non ignoraret; talis enim ignorantia in præsenti materia non excludit voluntatem vovendi, quia fieret votum, etiamsi hujusmodi ignorantia non adesset; ergo non repugnat valori voti.

3. *Tertium dubium.* — Tertia difficultas est de ignorantia privationis; quamvis enim prædicta locum habeant, quando intercedit error contrarius intentioni et voluntati voventis, quando vero solum intervenit mera privatio scientiæ alicujus rei promissæ, tunc illa non videtur causare positive involuntarium, sed solum excludere voluntatem directam et explicitam talis conditionis; cum quo stat, ut talis conditio sit implicite volita in alio objecto, in quo involvitur, nam ab illo non excluditur propter solam ignorantiam. Ut, verbi gratia, qui vult vovere ingredi religionem Carthusianorum, ignorans an in illa sit usus carnium absque ullo errore, si absolute voveat religionem illam, videtur votum validum esse, quia qui absolute vult aliquid sine examine vel scientia, an habeat hanc vel illam conditionem, censetur simpliciter velle illud, cujuscumque conditionis sit.

4. *Primum solvitur.* — Ad primum respon-

deo imprimis, quando ignorantia talis est, ut sit causa et ratio emittendi votum, et alioquin est de re substantiali, parum referre ad rationem voti, quod talis ignorantia sit voluntaria indirecte per negligentiam repellendi illam, quamvis id fieri potuerit. Ratio sumi potest ex dictis capite octavo, quia ad votum non sufficit voluntarium in causa, vel interpretativum ; voluntarium autem ex hac ignorantia est solum interpretativum in causa ; ergo. Probatur minor, quia conditio ignorata non est in se volita ; ergo ad summum potest censeri intenta interpretativo modo, et in causa, scilicet in ipsa ignorantia ; at illa conditio substantialis est, ut supponimus ; ergo substantia voti hoc tantum modo erit voluntaria, quod non est sufficiens. Alia ratio insinuata est supra in capite quarto, quia quod ignorantia sit illo modo voluntaria, et quod homo possit vel non possit illam vincere, potest quidem referre ut actus censeatur prudenter vel imprudenter factus, et consequenter ut sit vel non sit peccaminosus ; nihil tamen refert ut sit vel non sit validus ad obligationem inducendam. Quia hoc solum pendet (ut ita dicam) ex facto, id est, ex eo quod aliquis habeat vel non habeat voluntatem se obligandi ; quam non magis habet, qui in eo casu prudenter operatur post diligentiam adhibitam, quam qui temere et imprudenter ; imo ex alio capite videtur in hoc esse minor voluntas, quia minor est deliberatio. Accedit tertio, quod in ordine ad peccatum vitandum tenetur quis diligentiam adhibere, ut ignorantiam prius expellat ; et ideo si sit negligens, censetur illa ignorantia proprie voluntaria, licet indirecte. In ordine autem ad votum emittendum, et ut quis obligatus maneat ad ea quæ non novit, non tenetur quis adeo diligenter examinare omnes conditiones, quas simplici modo existimat inesse rei promissæ ; nulla enim lege de tali obligatione constat : et ideo talis ignorantia non tam est voluntaria seu volita, quam permissa ; et ideo non sufficit ut votum censeatur voluntarium, etiam quoad conditionem ignoratam. Contra hoc autem videntur opinari Innocentius et alii in cap. *Dudum*, de Convers. conjug., et capit. *Cum dilectus*, de Iis quæ vi. Sed illi videntur loqui de voto solemni, de quo fortasse est alia ratio, ut suo loco videbimus. Et in libro quarto iterum occurret doctrina illa Canonistarum.

5. Atque hæc quidem clara videntur, quando ignorantia tantum est indirecte voluntaria ; quando vero est directe volita (quod in confirmatione attingebatur), examinanda diligentius est voluntas operantis, quia hæc ignorantia non ita necessario excludit voluntatem directam conditionis ignoratæ, sicut prior, quia non ita excludit directam cognitionem illius. Nam qui directe vult ignorare aliquid, jam directe cogitat de illo quod ignorare vult, seu quod non vult examinare an ita sit ; ideoque etiam potest directe velle se ad id obligare, saltem ex hypothesi, si fortasse ipse decipiatur ; et ideo cum tali ignorantiæ modo potest sine dubio esse voti obligatio. Tamen in eo casu, si recte attendamus, talis ignorantia non est causa vovendi ; nam potius e contrario ideo homo sic affectus non curat rem examinare ad tollendam ignorantiam, quia habet voluntatem se obligandi cum quacumque conditione, nec etiam omnino occultat objectum, ut declaratum est. Advertere autem oportet, quod, licet cum illa ignorantia, sic explicata possit esse prædicta voluntas vovendi, non propterea necessarium est ut, quoties ignorantia est affectata, voluntas voventis sit absolute et omnibus modis se obligandi, quia etiam potest illa voluntas ignorandi seu non examinandi rem, oriri ex aliquo timore humano, vel alio simili respectu ; et ita potest nihilominus, qui vovet, non habere intentionem se obligandi, nisi juxta exigentiam materiæ sub tali vel tali conditione propositæ ; et ideo in hujusmodi casu diligenter examinanda est voluntas voventis, nam inde res tota pendet.

6. *Ad secundam.* — *Quid sit ignorantia concomitans.* — Eadem fere responsio est ad secundam dubitationem, nam ignorantia concomitans ut sic non est causa actus ; et ideo non comprehenditur sub ea ignorantia, de qua in præsenti sermo est. Advertere igitur oportet, ignorantiam tunc dici concomitantem, quando homo est ita dispositus quod, licet talem ignorantiam non haberet, idem esset operaturus. Hæc autem dispositio intelligi potest, vel habitualis tantum, vel actualis ; et habitualem voco illam, quæ non est per actuale propositum, vel desiderium voluntatis, etiamsi habitualis dispositio ex actibus proxime præcedentibus relicta fuerit ; quam alii fortasse virtualem vocabunt ; in præsenti vero melius dicitur habitualis, quia (ut supponimus) neque actu existit in se, neque in aliquo alio actu, qui in virtute ejus operetur, ut supponimus. Hæc igitur dispositio habitualis parum refert ad effectus morales, quamdiu in actum non prodit ; imo vix potest de illa ferri humanum judicium. Quis enim, præter Deum, scit quid esset voliturus homo, si hoc vel illud considerasset, aut quod propositum circa hoc objectum conditionatum esset habiturus, si menti occurrisset ? Utrumque enim pendet ex libera voluntate, quæ indifferens est, atque adeo incerta, quamdiu non prodit in actum. Neque satis est quod tempore proxime præcedente tale propositum habuerit aliquis, nam potest et solet facile mutari. Unde hoc modo solum potest dici ignorantia concomitans secundum humanam conjecturam ; in præsenti autem materia, talis conjectura non obstat quominus talis ignorantia æque impediat valorem voti, ac quælibet alia, quia homo non obligatur per hoc quod facturus esset, si hoc vel illud ei accidisset, sed per hoc quod actu facit, vel fecit.

7. *Alius modus ignorantiæ concomitantis in ordine ad voluntatem actualem.* — Alio ergo modo dicitur ignorantia concomitans comparata ad præsentem voluntatem actualem, qua aliquis declarat mentem suam, ut bene in simili significavit Tiraq., tractat. *Cessante causa*, limit. 1, num. decimo nono, dum in fine similis limitationis ait : *Quomodo autem id cognoscatur, an alias scilicet fuisset necne facturus, non video, nisi ex verbis legis, statuti aut concessionis id deprehendi possit.* Ita ergo in præsenti dicimus, hoc voluntarium concomitans deprehendi non posse, nisi ex intentione et verbis voventis ; ex illis tamen posse, et declaratur exemplo. Nam si aliquis occidat Petrum inimicum, ignorans quidem esse illum, et existimans esse cervum, actu vero desiderans ibi adesse inimicum, cum proposito occidendi illum si ipse esset, tunc ignorantia dici potest actualiter concomitans ; talis ergo potest etiam in voto emittendo intervenire, et tunc nihil obstare potest quominus votum validum sit, quia ignorantia tunc neque est causa talis voti, neque excludit sufficientem voluntatem se obligandi ad talem materiam, ut affectam tali proprietate, quia licet ignoretur absolute, sub conditione apprehenditur. Ut si quis voveat peregrinationem Hierosolymitanam, existimans non fieri per mare, habens tamen actu voluntatem non minus vovendi illam, etiamsi per mare fieret, sufficientem habet intentionem se obligandi ad talem peregrinationem absolute et simpliciter, sive per mare fiat, sive non, quamvis privato errore existimet absque navigatione fieri.

8. *Ad tertiam.* — Ad ultimam difficultatem, concedo assertionem positam maxime procedere, quando ignorantia est positiva per judicium et existimationem de materia voti, quod, scilicet, sit affecta proprietatibus quas revera non habet. Tunc enim talis materia ut affecta talibus conditionibus est, quæ movet, et ad quam positive fertur voluntas ; ideoque magis causat involuntarium, *cum errantis nulla voluntas sit*, ut dicitur in L. *Cum testamentum*, ff. de Juris et facti ignorantia. At vero quando ignorantia est pure privativa, judicium, seu existimatio positiva mentis proponit aliquid in materia voti, quod in re verum est, et ibi sistit, et præscindit ab aliis quæ non negat, quamvis ea non proponat, nam propterea non est ignorantia positiva, quia abstrahentium non est mendacium. Unde fit ut objectum sic propositum non moveat voluntatem secundum id quod per ignorantiam occultatur ; et ideo talis ignorantia non ita causat involuntarium. Potest autem illud causare tanquam removens prohibens, nam illud quod per talem ignorantiam occultatur in objecto, sicut non trahit voluntatem, ita nec retardat illam ; et ex hac parte contingere potest ut talis ignorantia causet involuntarium, quia si talis conditio fuisset proposita, et non occultata, retardaret hominem a vovendo. Et hunc etiam involuntarii modum aliqui putant sufficere, ut valor voti impediatur, maxime quando talis conditio callide occultatur, ne voventem retardet.

9. *Regula generalis in hac materia.* — Verumtamen hoc oportet sano modo intelligere ; nam, ut dicebam de ignorantia concomitante, nemo obligatur vel desinit obligari propter ea quæ facturus esset, si hoc vel illud accideret, sed per ea quæ facit ; in eo autem casu talis homo absolute vovet ; quod autem non esset emissurus votum, si hoc vel illud scivisset, actu nihil ponit vel causat in ipso ; ergo non potest hic et nunc impedire obligationem quæ ex voto secundum se nascitur. Eo vel maxime quod (ut etiam dicebam) illa conditionalis hominibus incerta est, unde non potest nisi divinando et conjectando affirmari ; valor autem voti non debet pendere ex conjecturis adeo incertis. Quare potius videtur pro regula statuendum, in eo casu validum esse votum, et illam conditionem, occultatam per ignorantiam, implicite volitam esse in objecto proposito, a quo non fuit exclusa. Atque ita sentit Cajetanus, in Summa, verb. *Votorum emissio*, etc., in fine ; Soto supra, q. 2, art. 1, ad 3, verb. *Ex his ;* Ludov. Lop., 1 part., cap. 43, in fine ; Valen., disput. 6, q. 6, punct. 4, in fine.

10. *Duplex limitatio ad præcedentem regulam.* — Hæc tamen regula dupliciter limitanda est. Primo, nisi talis homo, dum vovet, per expressam voluntatem limitet suam intentionem ad objectum sibi propositum, ut sic, vel expresse addat conditionem, nisi tale votum habuerit plures difficultates quam sibi proponantur, nam per talem intentionem manifeste fit hujusmodi votum involuntarium. Quia tunc voluntas est conditionalis, et conditio subsistit. Secus vero est, quando, licet difficultas vel conditio lateat, in intentione non concipitur, sed absolute fertur intentio ad objectum, ut de facto proponitur; nec satis est dicere quod si difficultas illa tunc cognosceretur, homo non voveret, neque illud objectum vellet. Hæc enim conditionalis est de futuro, non de præsenti; et ideo non mutat præsentem voluntatem, sed absolutam illam relinquit, ut sæpe dictum est. Secundo, nisi ex materia proposita et modo proponendi moraliter constet taciturnitatem hujusmodi conditionis, seu proprietatis materiæ æquivalere negationi, et conceptum, qui inde formatur, non solum esse præcisivum, sed etiam exclusivum; tunc enim ignorantia jam non est mere negativa, sed vim habet moralis deceptionis. Quando autem de tali ignorantia hoc modo judicandum sit, prudentis arbitrio relinquendum est, multumque pendet ex deliberatione et intentione ipsius voventis.

CAPUT XIII.

UTRUM PRÆTER DELIBERATAM VOLUNTATEM SE OBLIGANDI DEO, NECESSARIA SIT PROMISSIO QUÆ SIT ACTUS INTELLECTUS IN QUO VOTI SUBSTANTIA CONSISTAT?

1. Diximus de actibus intellectus necessariis ad voluntatem vovendi, et ordine naturæ antecedentibus illam; nunc superest explicandum an sit in intellectu aliquis actus subsequens prædictam voluntatem, in quo substantia vel (ut ita dicam) entitas ipsius voti consistat. Ut autem sensus et quæstionis ratio intelligatur, suppono imprimis votum formaliter consistere in promissione facta Deo; ita ut interius in anima actus vovendi et actus promittendi idem omnino sint. In hoc conveniunt omnes Doctores, et supra cap. 1 et 2 probatum est. Patetque ex illo Deut. 23 : *Cum volum voveris Domino Deo tuo, non tardabis reddere;* et infra : *Facies sicut promisisti;* ubi verbum vovendi per verbum promittendi explicatur. Sicut etiam fit Eccles. 5, dum dicitur : *Si quid vovisti Deo, ne moreris reddere, displicet enim illi infidelis et stulta promissio;* et infra : *Melius est non vovere, quam post votum promissa non reddere;* ubi ea, quæ sub votum cadunt, promissa dicuntur; ipsum ergo votum promissio est. Et eodem modo loquuntur Patres, Isidor., lib. 2 Synonym., et habetur cap. *In malis,* 22, q. 4; et August., Epist. 45 : *Jam vovisti, jam te astrinxisti, tenetur apud Deum sponsio tua.* Deinde in votis, quæ ore fiunt, nihil est ore vovere, nisi ore promittere; ergo similiter in mente, nam per votum explicamus quod in mente geritur. Præterea fractio voti infidelitas quædam est apud Deum; infidelitas autem moralis promissioni contraria est; ergo votum est promissio. Tota ratio constat ex allegatis verbis Sapientis : *Displicet enim illi infidelis et stulta promissio;* et ex illis 1 Timoth. 5 : *Habentes damnationem, quia primam fidem irritam fecerunt,* id est, prius votum, ut Clemens exposuit, lib. 3 Constit., cap. 1, dicens : *Rationem Deo reddet, non quia iterum nupsit, sed quia promissionem non servavit.* Illa ergo fides est promissio, eademque est votum; et illam expositionem secuti sunt Pontifices, Concilia et Patres, ut infra tractando de Transgressione voti videbimus. Denique inter homines ex promissione seu pollicitatione nascitur proxime obligatio; ergo et in ordine ad Deum; sed ille actus spontaneus, per quem homo se obligat Deo, est votum; ergo votum idem est quod promissio. De hoc ergo puncto non est controversia, sed de ipsa promissione, a qua potentia fiat, et quis actus in ea sit.

2. *Ratio dubitandi in actibus voluntatis.* — Hinc ergo intelligitur ratio dubitandi. Nam quod non sit voluntatis actus, patet, quia non est propositum faciendi quod promissum, vel promittendum est, quia ille actus non inducit obligationem, imo neque est simpliciter necessarius ad illam, ut ostensum est. Neque est voluntas vovendi aut promittendi, tum quia talis actus habet pro objecto ipsam promissionem, et votum non habet pro objecto se ipsum, quia repugnat primum objectum alicujus actus voluntatis esse ipsummet actum, ut ostendit D. Thomas 1. 2, q. 1, artic. 1, ad 2; tum quia promissio et votum est effectus illius voluntatis, atque adeo posterius illa; est ergo aliquis actus distinctus ab illa. At vero post actum illum, quo homo vult promittere Deo, non potest intelligi alius actus ipsiusmet voluntatis, qui ad votum pertineat, quia post illum actum nihil superest volendum, sed faciendum; ergo in voluntate non potest intelligi actus qui sit votum. Et declaratur ex modo communi loquendi, nam *volo promittere,* et *promitto,* non significant idem; nec qui dicit, Volo promittere, censetur promittere, donec dicat, Promitto; ergo signum est actum promittendi esse distinctum ab omni voluntatis actu, qui ad vovendum vel promittendum intervenit.

3. *Idem probatur in actibus intellectus.* — Quod autem votum non possit esse actus intellectus, probatur, quia nec est actus tempore vel natura antecedens voluntatem se obligandi Deo, nec etiam est actus posterior; ergo nullus esse potest. Major evidens est ex dictis, quia ante voluntatem vovendi seu obligandi se Deo, non est votum; ergo nullus actus intellectus antecedens dictam voluntatem potest esse votum. Minor etiam probatur, quia omnis actus intellectus, vel est cognitio, vel locutio; neuter autem ex his actibus potest esse votum : non quidem cognitio, nam post voluntatem vovendi aut se obligandi nulla cognitio necessaria sequitur in intellectu, nisi cognitio quasi reflexiva, qua cognoscit homo quod velit, seu voluerit se obligare. Quæ cognitio non potest esse votum, tum quia non est cognitio ad alterum, sed ad se; tum etiam quia non est actus practicus, sed speculativus, quo homo alium actum suum cognoscit, vel effectum ejus, votum autem est actus practicus, ut recte D. Thomas dixit; tum quia talis cognitio videtur supponere votum; nam, eo ipso quo vult se obligare Deo, obligatus manet, nam illa voluntas efficax est; ergo cum homo cognoscit illam voluntatem in se, jam cognoscit se obligatum; ergo jam supponitur votum. Quoad alteram vero partem de locutione, probatur minor, quia locutio interna ad Deum sola voluntate sufficienter fit, ut supra tract. 4, lib. 1, cap. 4, dixi; et licet possit etiam ab homine fieri per conceptus verborum, ut ibidem cap. 3 declaravi, hæc locutio non est necessaria, sed valde accidentaria ad votum Deo faciendum, et ad obligationem ejus; ergo.

4. *Prima sententia.* — Duæ itaque in hac re sunt opiniones. Prima dicit, promissionem ad Deum, quæ est votum, esse quemdam actum intellectus posteriorem voluntati promittendi, ac se obligandi, et ab illa procedentem per modum cujusdam impulsus et imperii, quo se homo ordinat ad Deum. Hæc est opinio D. Thomæ, d. art. 1, quam ibi Cajetan., Sot., Aragon. et alii moderni sequuntur, et omnes illi, qui orationem, legem, et imperium in intellectu constituunt, quos supra, d. cap. 3, commemoravi. D. Thomas utitur illa ratione, quia ordinare, ad intellectum pertinet; per votum autem ordinat homo seipsum, ut rem quam vovet, ad Deum. Verumtamen ad hanc rationem jam diximus, citato loco, cum Scoto, et cum ipso D. Thoma aliis locis, non esse solius rationis ordinare, sed etiam voluntatis. Nam profecto referre, ordinare est; voluntas autem refert actiones ad finem, vel ad alterum; ut qui vult obedire alteri, voluntatem suam voluntati alterius subordinat, et qui vult suum corpus tradere alteri, ut per matrimonium, suum corpus subjicit potestati alterius, quæ est quædam ordinatio. Sic ergo ex parte ordinationis non repugnat votum esse actum voluntatis. Aliter solet probari hæc opinio, quia votum est quasi lex privata, quam homo sibi imponit, ut ait D. Thomas, d. quæst. 88, art. 10, quia sicut ex lege nascitur publica obligatio, ita ex voto privata; sed lex est actus intellectus; ergo et votum. Verumtamen et de fundamento hujus rationis est eadem controversia, præsertim de lege positiva, cui magis comparatur votum. Et præterea propositio illa, quod votum sit lex privata, metaphorica quodammodo est, ut infra declarabo; ex metaphorica autem locutione subsumendo propriam, non potest esse efficax argumentatio, quia virtute fit in quatuor terminis.

5. *Secunda sententia.* — Est ergo secunda sententia, asserens votum mentale esse actum voluntatis, quo voluntas efficaciter vult se obligare Deo ad hoc vel illud in honorem ipsius faciendum. Hanc sententiam tenent in 4, distinct. 38, Major, q. 1, definiens votum esse volitionem; Supplement. Gabr., q. 1, art. 1, qui bene rem disputat. Insinuat Scot., ibi, q. unic., verb. *Alia ratio,* quatenus dicit per actum voluntatis obligari aliquem vovendo, quia per solam voluntatem est dominus, et transfert dominium, etc. Idem sentit Richard., art. 2, q. 2; Palac., disput. 1. Alii vero antiqui non satis rem disputant nec explicant, semper tamen magis tribuunt votum voluntati quam intellectui, et jura interdum explicant per propositum firmum, id est, obligatorium, ut supra visum est. Ipsum etiam nomen *votum* a voluntate deductum est, ut dictum sit *votum,* quasi volitum, ut asseruit Bart., in l. *Qui in aliena,* in princ., ff. de Acquir. hæred. Et hoc fortasse sentiunt Canonistæ, quando dicunt ad votum sufficere propositum, ut dixi-